



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1858

XCVI. Die Herzogin Agnes von Braunschweig verleiht den Zoll zu Stendal den Gebrüdern Schadewachten, am 11. Mai 1320.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54890](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54890)

XCVI. Die Herzogin Agnes von Braunschweig verleiht den Zoll zu Stendal den Gebrüdern Schadewachten, am 11. Mai 1320.

Dei gracia Nos Agnes, Ducissa Brunsvicensis, recognoscimus publice per presentes, quod fidelibus nostris Burgenibus et discretis Ghysekino ac Henningo, fratribus, dictis de Schadewachten, eorumque legitimis heredibus contulimus sollempni et debito pheidali titulo, Coniunctum theloneum in Stendal cum suis fructibus, iuribus et plenis utilitatibus possidendum atque tollendum, eo iure et modo, quibus Dominus Ghevehardus de Plothe et post eum Henricus Winandi et sui fratres ab illustri Principe Domino Waldemaro, Marchione Brandenburgensi, quondam marito nostro dilecto, clare memorie, dictum theloneum possedisse ac percipisse noscuntur. Et ne de hac collatione nostra dubietas aliqua suscitetur, hanc literam super hoc dari iussimus, sigilli nostri robore communitam. Testes quoque huius rei sunt Gherardus de Kerkow, Conradus de Osterborg, Ebelo et Ebelo de Luderitz, milites, nostri fideles, Rokezo et Engelke, Castel dictus, nostri Burgenfes de Stendal, cum pluribus aliis fide dignis. Actum et datum Tangermundis, per manum Hermanni de Luchaw, anno Domini MCCCXX., Dominica proxima ante festum Pentecostes.

Beckmann's Beschreibung a. a. D., Sp. 153. (Lenz) histor. Samml. 371.

XCVII. Die Herzogin Agnes von Braunschweig schenkt einige Getreidepächte und Gerechtigkeiten der Glendengilde zu Stendal, am 21. Dezember 1321.

In nomine Domini Amen. Nos Agnes, Dei gratia ducissa Brunsvicensis, recognoscimus literas per presentes, quod propter Deum et in salutare remedium animarum nostre progenitorumque nostrorum dedimus et presentibus sollempni donatione in perpetuum donamus hominum infirmorum a Deo percussorum collegio, prope muros Stendalienses degentium, precariam omnimodam denariorum et frumenti, summum et imum iudicium, censum, seruicium curruum et quodlibet aliud reale uel personale seruicium super duobus choris siliginis in uilla Ostheren et duobus choris in uilla Dornitede, quos quatuor choros cum plena proprietate debiles supradicti habebunt. Renunciamus omni iuri, quod nobis ad dictos choros, precariam, censum, iudicium uel de seruicio curruum possit ex quacunque causa competere in futurum; proinde ex parte eorundum infirmorum nobis est pro nostro libito satisfactum. Huius rei testes sunt Conradus de Osterburg, Gherardus de Kerkow, milites nostri, Fredericus de Vincelberg, noster aduocatus, Engelko Castiel, Ruleko de Bismarcke, Beringerus et Godeschaleus de Ierichow, consules nostri de Stendal, cum aliis pluribus fide dignis. In cuius rei testimonium nostro sigillo munitum dedimus presens scriptum, Tangermundis, anno Domini MCCCXXI., die sancti Thome apostoli, per manum Hermanni Luchowe.

Ludewig Reliqu. Manuscript. IX, 521.